

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 5: De amore venereo et eius libidine

De venerei amoris laude: Rubrica i

Aristoteles problematum particula 4. problemato 15. Coire delectabilissimum est.

Oratius in epistolis libro i. epistola 6. Si viuimus: vti censentur sine amore iocisque / Nil est iocundum: viuas in amore iocisque.

Ouidius de remedio amoris libro i. Si quis amat quod amare iuuat feliciter ardet / Gaudeat et vento nauiget ille suo. Idem de fastis libro 2. Quid genus omne creat volucrum nisi blanda voluptas. / Nec coeunt pecudes si leuis absit amor. / Cum mare trux aries cornu decertat: et idem / Fronte dilecte ledere parcat ouis. / Deposita sequitur taurus feritate iuencam.

Quintilianus declamationum 13. declamatione. Amor est vnde gaudium vnde venit vite tota letitia.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 11. Mulier gloria est viri.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 5. Truculentus et siluester: et vite inscius. / Tristem iuuentam venere deserta colis.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo. Pectora pascit amor: sine quo sunt gaudia nulla.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 49. **Feminee** tactu carnis non dulcior vllus / Humanis rebus tactus inesse potest.

Commented [CN1]: fol.110va

Ouidius epistolarum epistola 4. Sic nunquam que te spernere possit ames. Idem sine titulo seu amorum libro 2. epistola 4. Felix qui quod amat defendere fortiter audet. Libro primo capitulo 9. Que bello est habilis veneri quoque conuenit etas / Turpe senex miles: turpe senilis amor. Libro 3. et finali capitulo 4. Pauci quod sinit alter amant. Idem de arte amandi libro i. Principio quid amare velis reperire labora. / Dum licet et loris passim potes ire solutis. / Elige cui dicas tu mihi sola places. / Querenda est oculis apta puella tuis. / Nocte latent mende: vitioque ignoscitur omni. / Horaque formosam quamlibet illa fecit. / Consule de gemis detincta murice lana. / Consule de facie corporibusque diem. / O quantum est vni posse placere viro.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Dulcis amor vidue mollit quoque corda superba / Que melius ceteris et sapienter amat / Prouidus imprimis oculis sibi querat amandam. / Eligat e multis que placeat vna sibi. / Diligat equalem: vel paulo se meliorem. / Nam cito sepe ruit qui super astra volat. / Diligat hunc mulier qui caute nouit amare.

De eligibilibus personis amandis amore venereo: Rubrica 2

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 5. Quid facies hosti qui sic excludis amantem. Capitulo 4. Casta est quam nemo rogauit. / At si instituta non vetat: ipsa rogat. / Et soror et mater nutrixque carpat amantem. / Fit cito per multas preda retita manus. / Lingua viuere mentemque tegas blandireque voce. Capitulo 9. Mars dubius: nec certa venus: victique resurgunt / Quosque neges vnquam posse iacere cadunt. Idem de arte amandi libro i. Proximus ad dominam nullo prohibente sedeto / Iunge tuum lateri quam potes vsque latus. / Et bene quod cogit si nolis linea iungi. / Qua tibi tangenda est lege puella loci. / Hic tibi queratur socii sermonis origo. / Et moueant primos publica verba sonos et cetera. / Utque fit: in gremium puluis si forte puelle / Deciderit: digitis excutiendus erit. / Et si nullus erit puluis: tamen excute nullum. / Quelibet officio causa sit apta tuo. / Palea si terre nimium demissa iacebunt: / Collige: et immunda sedulis offer humo et cetera. / Parua leues capiunt animos. / Prima tue menti veniat fiducia. cunctas / Posse capi: capies tu modo tende plagas / Femina que iuueni blande temptata repugnet. / Hec quoque quam poteris credere nolle volet. / Conueniat maribus: ne quam nos ante rogemus / Femina iam partes victa rogantis aget. / Ergo age: nec dubita cunctas sperare puellas. / Uix erit e mille que neget vna tibi. / Que dant queque negant: gaudent tamen esse rogate. / Ut iam fallaris: tuta repulsa tua est. / Sed prius ancillam captare nosse puelle / Cura sit: accessus molliet illa tuos. / Proxima consiliis domine sit vt illa videto: / Ne parum tacitis concia fide iocis. Hanc tu pollicitis hanc tu corrumpere precando. / Quam petis ex facili si vollet illa feres. / Illa leget tempus medicus quoque tempora seruat. / Quo facilis domine mens sit et apta capi. / Mens erit apta capi: tunc cum leuissima rerum: / Ut seges impingui luxuriabit humo. / Pectora cum gaudent nec sunt attrita dolore. / Ipsa patent blanda: tunc subit arte venus. / Promittas facito: quid enim promittere ledit. / Pollicitus diues quilibet esse potest. / At que non dederis semper videre facturum. / Sic dominum sterilis sepe fefellit ager. / Sic cum perdidit non cessat perdere lusor. / Et reuocat cupidus: alea sepe manus. / Hoc opus hic labor est primo sine munere iungi. / Si dederit gratis que dedit vsque dabit. / Effugiant voces verba molesta tue. / Quis nisi mentis inops tenere declamat amice / **Sit** tibi credibilis sermo consuetaque verba / Blanda tamen presens vt videre loqui. / Tempore difficiles veniunt ad aratra iuueni. / Tempore lenta pati frena docentur equi. / Ferreus assiduo consumitur annulus vsu. / Interit assiduo vomer aduncus humo. / Quid magis est durum saxo: quid molius vnda. / Dura tamen molli saxa cauantur aqua. / Penelopem ipsam persta: modo tempore vinces. / Quod roget illa timet: quod non rogat optat vt instes / Insequere: et voti postmodum compos erit. / Mundicie placeant. / Caueant rubigine dentes. / Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet. / Nec male deformet rigidas tonsura capillos / Sit coma: sit docta barba resecta manu. / Ut nil emineat: et sint sine sordibus vngues / Inque caua nullus stet tibi nare pilus. / Si vox est canta: si mollia brachia salta. / Et quacunque potes arte placere stude. / Audacem sorsque venusque iuuant. / Fac tantum cupias: sponte disertus eris. / Sepe tamen vere cepit simulator amare. / Sepe quod incipiens finxerat esse fuit. / Blanditiis animum furtim dephendere mens sit / Ut pendens liquidam ripa subitur aquam / Nec faciem ne te pigeat lauare capillos. / Et teretes digitos: exiguumque pedem. / Delectant etiam castas preconia forme. / Uirginibus cure grataque forma sua est. / Nec timide promitte: trahunt promissa puellas / Oscula qui sumpsit si non et cetera sumpsit. / Hec quoque que data sunt perdere dignus erit / Uim licet appelles: grata est vis illa puellis. / Quod iuuat inuite sepe dedisse volunt. / Quecunque est veneris subito violata rapina / Gaudet: et improbitas instar amoris habet / Atque cum possit cogi non tacta recessit. / Ut

Commented [CN2]: fol.110rb

Commented [CN3]: fol.110va

simulet vultu gaudia: tristis erit. / Ha nimia est iuueni proprie fiducia forme. / Expectet si quis dum prior illa roget. / Ut potiare roga: tantum cupit illa rogari. / Da causam voti principiumque tui. Libro 2. Dextera precipue capit indulgentia mentes. / Dulcibus est verbis mollis allendus amor. / **Blanditias** molles: auremque iuuantia verba. / Affer. / Non ego diuitibus venio preceptor amandi. / Nil opus est illi qui dabit arte mea. / Si nec blanda satis: nec erit tibi domus amanti. / Perfer et obdura: postmodum mitis erit. / Amor odit inertos. Erue fastus. / Curam mansuri quisquis amoris habes. / Dummodo sit diues barbarus ille placet. / Aurea sunt vere nec secula plurimus auro. / Uenit honos: auro conciliatur amor. / Ipse licet venias musis comitatus homere: / Si nihil attuleris ibis homere foras. / At quod eis per te facturus et vile credis. / Id tua te facito semper amica roget. / Libertas alicui fuerit promissa tuorum. / Hanc tamen ad dominam fac petat ille tuam. / Utilitas tua sit: titulus donetur amice / Perde nihil: partes illa potentis agat. / Dum nouus erat amor vires sibi colligat vsu / Si bene nutrieris: tempore firmus erit. / Da requiem requietus ager bene credita reddit / Sed mora tuta breuis lentescunt tempore cure. / Uanescitque absens: et nouus intrat amor. / Quisquis sapienter amabit. Uincet. Libro 3. Res est blanda canor: discant cantare puelle. / Pro facie multis vox sua lena fuit. / Quis dabit quin scire velim saltare puellam. / Mille fac esse iocos: tempore est nescire puellam / Ludere: ludendo sepe paratur amor. / Mora semper amantes. / Incitat: exiguum si modo tempus habet. / Ha quotiens dubius scriptis exarsit amator / Comibus est oculis alliciendus amor. / Spectantem specta: ridenti mollia ride / Innuet acceptas tu quoque redde notas. / Munera det diues. / Quod datur ex facili longum male nutrit amorem / Miscenda est letis rara repulsa iocis. / Munera crede mihi capiunt hominesque deosque / Placatur donis iuppiter ipse datis. / Quid sapiens faciet: stultus quoque munere cadet. Idem de tristibus libro 3. epistola 5. Occulte siquis amaui: amet. **Idem** methamorphosis libro 9. Tu seruare potes: tu perdere solus amantem / Elige virumque facias: non hoc inimica precatur. / Sed que cum tibi sit iunctissima iunctior esse / Expetit et vinculo tecum proprio ligari. Idem de medicamine faciei. Prima sit in vobis morum tutela puelle. / Ingenio facile conciliante placent. / Certus amor morum est.

Commented [CN4]: fol.110vb

Commented [CN5]: fol.111ra

Quintillianus declamationum 14. declamatione. Diuitiis opus est: ne simus in amore miseri et impotentissimi.

Seneca in prouerbiis. Blanditia non imperio fit dulcis venus.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 3. Gaudia semper amat: et ludicra verba iuuentus. / Et iuuenum mentes hoc in amore trahunt / Si locus est illi iocundis viribus iuxta. / Quod vix sperasti iam dabit ipsa tibi. / Non sinit interdum pudor illi promere vocum / Sed quod habere cupit hoc magis ipsa vetat. / Pulchrius esse putat vi perdere virginitatem. / Quam dicat de me fac modo velle tuum. / Et famulos famulasque domus sibi sepe loqui. / Allice colloquiis: muneribusque tuis. / Ut semper referant de te bona verba vicissim / Et pascant dominam laudibus vsquam tuis. / Dum dubias dubio mentes in corpore verset. / An faciat: an non: nescia velle tuum. / Tunc illam multo temptamine sepe fatiga. / Ut citius possis victor amore frui. / Pellitur huc animus hominum depellitur illuc. / Sepe labore breui dum manet in dubio: / Et placeat vobis interpres semper vtrisque. / Qui caute referat hoc quod vterque cupit. / Emula nam iuuenum diiudicat acta senectus / Et simul hos prohibet litigiosa loqui. / Incipe sepe: melius dedit et dabit omnia tempus. / Non tibi plus dicam: vinctus studiosus amicam / Inceptumque viis mille patebit

opus. Capitulo 23. Usu crescit amor omnis decrescit et vsus. / Omnis: et in pastus attenuatur amor.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Hanc firmis oculis ridentibus intueatur: / **U**t quia diligitur dulcis amica sciat. / Nuncia queratur sub qua confidat vterque / Que narret caute quicquid vtrique placet. / Munent hanc iuuenis quo sit super hoc studiosa / Et plusquam tribuat polliceatur ei. / Forsitan in primis dabit aspera verba puella / Sed cito que prius est aspera molis erit. / Femina quod prohibet cupit: et vult sepe rogari / Improbitas vincit: pectora frangit amor / Non ad eo mentem frigidam tenet vlla puella. / Ut si tangatur risus in ore vacet / Dulcius exorans oscula grata petat / Spondeat et iuret quod nil petet amplius ipse / Nam bene sufficiunt talia dona peti. / Si neget illa quidem dare talia forte minando / Hec eadem omnino mitius ipse petat. / Expectat potius luctando femina vinci: / Quam velit vt meretrix crimina sponte pati. / Qui querit coitum vel vim post oscula differt: / Rusticus est nunquam dignus amore magis.

Commented [CN6]: fol.111rb

Heinricus samariensis libro i. particula 2. Si foret vt quondam lucrecia casta: crumena / Cum sibi porrigitur: cedit auara tibi.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Uisus et auditus necnon et tactus amoris. / Hoc auditum seui semper habere solet.

De modis alliciendi alterius voluntatem ad se amandum amore: venereo: et de his que parant hominem libidini venenere: Rubrica 3

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Luxuriosa res vinum.

Aristoteles problematum particula 4. problemato 5. Corpus quod debet coire oportet intrinsecus calidum esse et humidum. Discalceatio desiccatur et infrigidatur. Quare siue impossibile est non calidis existentibus pedibus spermaticare siue difficile necesse est non conferens esse ad vsum venereorum discalceationem. 9. problemato. Non possumus plena existente vesica cito coire. 11. problemato. Equitantes continue luxuriosi magis fiunt. 26. problemato. Desiderium coitus et a cibis et ab intellectu fit.

**I**esus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Ex circumspectione mulieris concupiscentia quasi exardescit. Speciem mulieris aliene multis admirati reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

Commented [CN7]: fol.111va

Terentius in eunucho capitulo 16. Sine cerere et libero frigescit venus.

Ouidius epistolarum 4. epistola. Uenit amor grauius quo serius vrimur intus. Idem de arte amandi libro i. Pectora cum gaudent nec sunt attrita dolore / Ipsa patent: blanda tunc subit arta venus. Libro secundo. Cogis adulterium dando tempusque locumque. Idem de remedio amoris libro i. Queritur egistus quare sit factus adulter. / Impromptu causa est: desidiosus erat. Libro 2. et finali. Non facile est taurum visa retinere iuuenca. / Fortis equus vise semper adignit eque. / Diuitiis alitur luxuriosus amor. / Uina parant animum veneri: uisi plurima sumas / Et stupeant multo corda sepulta mero.

Quintillianus declamationum i. declamatione. Oculi sunt totata nostra luxuria. hi nos quotidie in omnia precipitant vicia: miratur: adamant: concupiscunt.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mechatus est in corde suo.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 8. Nolite inebriari vino in quo est luxuria.

Seneca tragediarum in octauia capitulo 10. Uis magna mentis blandus animi calor. / Amor est: viuente gignitur luxu: ocio / Nutritur inter leta fortune bona.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Libido aspectu maxime concitatur.

Fulgentius libro 2. fabula 7. Libido quanto carni consenserit: tanto surgit iniquior.

Gregorius in pastorali capitulo 28. Habent leti ex propinquo luxuriam. 44. capitulo. Dum sacietate venter extenditur aculei libidinis excitantur. Gule deditos luxuria sequitur. Admonendi sunt gule dediti ne in eo quod **escarum** delectationi incumbant luxurie se mucrone transfigant.

Commented [CN8]: fol.111vb

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 7. Ciborum saturitas luxuriam suscitatur. / Saturitati libido semper adiuncta est. Capitulo 8. Uino luxuria excitatur. Capitulo 9. Oculi prima tela libidinis sunt. / Uisio est prima concupiscentia mulieris. / Aspectus amoris iacula mittit. / Concupiscentia libidinem nutrit. / Ante ignem consistens et si ferreus sis aliquando disolueris. / Sepe occasio peccandi voluntatem facit. Capitulo 10. Ocio dedito cito luxuria surripit. / Uacantem luxuria cito preoccupat. / Grauius libido vrit quem ociosum inuenerit.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 13. Usu crescit amor omnis. Capitulo 15. Per veneris morem cito virgo perdit honorem. / Igneus ille furor nescit habere modum. / Non leue pondus habent violenta cupidinis arma. / Ex requie serpit pestis seuissima luxus. / Armiger et fame prodigus hostis amor.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Subuertit mentem pulchra puella viri. / Uisus et auditus necnon et tactus amoris. / Hec auditum seui semper habere solent.

#### De natura venerei amoris: Rubrica 5

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 4. Non contingit amare multas simul. Multas simul eidem placere valde: non facile.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnoscitur.

Terentius in andria capitulo 4. Omnes qui amant grauiter sibi dari vxorem ferunt. Capitulo 14. Amantium ira amoris reintegratio est. In eunucho capitulo 2. In amore hoc omnia insunt: vicia: inducie: / Suspitiones: inimicitie: iniurie. / **Bellum**: pax rursus incerta. hoc si postules / Ratione certa facere: nihilo plus agas. / Qua si des operam vt cum ratione insanias. In heatuntumerumenon capitulo 11. Multa fert libido.

Commented [CN9]: fol.112ra

Tullius tusculanarum questionum libro 5. et finali. Nunquam finem inueniet libido.

Ouidius epistolarum i. epistola. Res est solliciti plena timoris amor. Epistola 4. Quid deceat non videt vllus amans. Epistola 6. Credula res amor est. Epistola 12. Quis enim bene celat amorem? / Ipsum timor auget amorem. Epistola 15. Sed tamen apparet dissimulatus amor. Epistola 16. Certus in hospitibus non est amor: errat vt ipsi / Cunque nihil speres firmius esse fugit. Idem sine titulo libro 1. capitulo 5. Uox et amor vinumque nihil moderabile suadent. Capitulo 9. Militat omnis amans: et habet sua castra cupido. / Quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis / Et denso mixtas perferet imbre niues. Libro 2. capitulo 17. Et tener ausuros grandia frangit amor. Libro 3. et finali capitulo 4. Centum fronte oculos centum ceruice gerebat / Argus: et hos vnus sepe fefellit amor. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Errat et in nulla: sede moratur amor. / Non bene cum sociis regna venusque manent / Senescit amor. / Incertus pectora versat amor. Idem de remedio amoris libro 2. Secta bipartito cum mens discurrit vtroque. / Alterius vires subtrahit alter amor. / Successore nouo vincitur omnis amor. / Intrat amor mentes vsu: dediscitur vsu.

Quintillianus declamationum 13. declamatione. Habet aliquod solatium quisquis in amore miser est. In amore contempto semper accendit. 14. declamatione. Amat qui quentur quod non amatur.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 10. Uincit sanctos dira libido. In octauia capitulo 9. Luxuria pestis blanda. Capitulo 10. Uis magna mentis blandus animi calor / Amor est. Iuuenta gignitur luxu ocio / Nutritur inter leta fortune bona. / Quem si fouere atque alere desistas cadet. Idem in prouerbiis. Amor animi arbitrio sumitur non deponitur. Amans iratus multa mentitur sibi. Amans quid cupit scit: quid sapiat non videt. Blanditia non imperio fit dulcis venus. In amore semper mendax iracundia est.

Ualerius maximus libro 9. titulo i. Blandum malum est luxuria: quam accusare aliquanto facilius est quam vitare.

Lex autentici titulo quibus modis naturalis efficiantur legi §. illud quoque. Nihil furore amoris est vehementius: quem retinere philosophie est.

Fulgentius libro 2. et finali. Libido quanto carni consenserit tanto surgit iniquior. Libro 3. fabula 4. Amor cum periculo sepe concordat: et dum ad illud solum natat quod diligit nunquam videt quod expedit.

Boetius consolatione libro 3. capitulo 24. et finali. Quis legem det amanti. Maior lex amor est sibi.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 25. Igneus ille furor nescit habere modum. / Non leue pondus habent violenta cupidinis arma. Capitulo 37. Uix celare potest intima cordis amor. Capitulo 43. Occultare nequit sua lumina maximus ignis / Occultare potest nec sua vota venus. Capitulo 47. Ingeniosus amor portas et claustra resoluit / Uincit quicquid obest ingeniosus amor.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 6. Nil bene cernit amor videt omnia lumine ceco. / Fallitur in multis anxietate sua.

Commented [CN10]: fol.112rb

Andreas ad gualterium de amore libro i. Amor est passio quedam innata: procedens ex visione et immoderata cogitatione forme alterius sexus ob quam quidem aliquis super omnia cupit alterius potiri amplexibus: **omniaque** de vtriusque voluntate in ipsius amoris precepta compleri. Libro 3. Semper timet amans ne sibi voluntas atque fides alteretur amantis: et hanc cogitationem amanti non potest vigilia neque somnus auferre. Quem vere gladius pertingit amoris: continua deque coamato ac sine intermissione cogitatione quassatur: nullisque diuitiis nulloue in hoc seculo tantum posset honore vel aliqua dignitate beari quantum si iuxta proprii animi voluntatem suo recte fruatur amore. Non reperitur aliquis adeo diuinis eloquiis eruditus: si maligno spiritu comitante: amoris aculeis instigetur: qui contra mulieres cognatas sibi et affines ac deo dedicatas feminas sciat vnquam frena continere luxurie. Magis sapientes dicuntur insanire amore et ardentius carnis voluptate: quam qui minori scientia gubernantur. Sed et magis sapientes viri postquam in amore delinquant luxurie contemnere solent excessus quam qui modica sunt scientia fulti.

Commented [CN11]: fol.112va

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 36. Est amor iniustus iudex aduersa maritans / Rerum naturas degenerare facit. / Anxietas in amore sapit: dulcescit amarum.

Gaufridus in poetria capitulo 67. Litibus alterius quando bellantur amantes / Crescit in hoc bello linguarum pax animorum. / Hoc odio conditur amor.

Iacobus beneuentanus capitulo 50. Subuertit mentem pulchra puella viri.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Nec capit humanas animas plus femina quicquam / Que se luxurie supponit gratis amica.

Prouerbia vulgaria. Lamor et orbo. / Amor non guardo paraco ne richeze / Ne lamor ne la tosse sepo celare / Amor za no cura raxon ne mesura.

#### De concupiscentia veneree voluptatis: Rubrica 6

Ouidius sine titulo seu amorum libro 2. capitulo 18. et finali. Quod licet ingratum est: quod non licet acrius vrit. **Libro** 3. et finali capitulo 4. Nitimur in vetitum cupimus semperque negata / Iuuat in concessa voluptas. Idem de arte amandi libro i. Utque viro furtiua venus: sic grata puelle. Libro 3. et finali. Que venit ex tuto minus est accepta voluptas.

Commented [CN12]: fol.112vb

Quintilianus declamationum 13. declamatione. Non fouet non nutrit ardorem concupiscendi: vbi frui licet.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Si sit furtiuus dulcior omnis amor.

#### De amenitate actionis veneree: Rubrica 7

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 4. Illa verecundis lux est prebenda puellis. / Qua timidus latebras speret habere pudor. Libro 3. et finali capitulo 4. Iuuat inconcessa voluptas. Capitulo 13. et penultimo. Est qui nequitiam locus exigat: omnibus illum / Delitiis imple: sit

procul inde pudor / Hinc simul exieris lasciua protinus omnis / Absit. Et in lecto crimina pone tuo. / Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori. / Nec femori impositum sustinuisse femur. / Illic purpureis condatur lingua labellis / Inque modos venerem iste figeret amor / Illic nec feroces nec verba iuuancia cessent / Spondaque lasciua mobilitate tremat / Indue cum tunicis metuentem crimina vultum / Et pudor obscenum diffiteatur opus. Idem de arte amandi libro i. Utque viro furtiua venus: sic grata puella. Libro secundo. Odi concubitus qui non vtrunque resoluunt. / Me voces audire iuuat sua gaudia falsas. / Crede mihi non est veneris propaganda voluptas / Sed sensum tarda prospicienda mora est. / Cum loca reperieris que tangi femina gaudet. / Non obstat tangas quo minus illa pudor / Aspicias oculos tremulo fulgore micantes. / Ut sola liquida sepe refulget aqua. / Accedent questus: accedet amabile murmur / Et dulces gemitus: aptaque verba ioco. / Sed neque tu dominam velis maioribus vsus / Desiue: nec cursus anteat illa tuos. / At metam pro parte simul: tunc plena voluptas. / Cum pariter victi femina virque iacent: / Hic tibi seruandus tenor est cum libera dantur / Ocia: furtium nec timor vrget opus. / Cum mora non tuta est totis incumbere remis. / Utile: et admissio subdere calcar equi. Libro 3. et finali. Que venit ex tuto minus est accepta voluptas / Sentiat ex imis venerem resoluta medullis / Femina: et ex equo res iuuat illa duos / Nec blande voces iocundaque murmura cessent / Nec taceant mediis improba verba iocis.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Non tunc simpliciter iungantur grata libella. / Sed teneant longas sua via pressa moras. / Mobiles interea stringat manus vna mammillas / Sed femur et venter sentiat inde vicem. / Sic postquam ludis fuerit calefactus vterque / Uestibus eiectis crura leuare decet. / Sed fit furtius dulcior omnis amor.

#### De meretrico amore: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 5. Fauus stillans labia meretricis et nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absinthium: et acuta quasi gladius biceps. Uagi sunt gressus meretricis: et inuestigabiles. Longe fac a meretrice viam tuam: et ne appropinques foribus domus eius.

Terentius in eunucho capitulo 22. Quomodo adolescentulus / Meretricum ingenia posset noscere / Mature. Capitulo 24. Audaciam meretricum specta.

Ouidius sine titulo libro i. capitulo 10. Sola viro mulier spoliis exultat adeptis. / Sola locat noctes: sola locanda venit. / Et vendit quod vtrunque iuuat: quod vterque petebat / Pro male conducto gratia nulla thoro. / Parcite formose precium pro nocte pacisci. / Non habet euentus sordida preda bonos.

Quintilianus declamationum 13. declamatione. Inuentas credo meretrices vt esset aliquid quod liceret amare pauperibus.

Cato capitulo i. Meretrices fuge.

Uersificator fabularum esopi. Thaida si quis amat sua se non credat amari. / Thais amore carens munus amantis amat.

Commented [CN13]: fol.113ra

Commented [CN14]: fol.113rb



Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 5. Si se supponat meretrix non prestat amorem / Non amat id quod agit: sed quod habere cupit.

#### De incestuoso et nephario coitu: Rubrica 9

In leuitico capitulo 8. Cum masculo non commisceberis coitu femineo: quia abhominatio est. 20. capitulo. Qui dormierit cum masculo coitu femineo: vtrique operati sunt nephas morte: moriantur. Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius: scelus operatus est: viuis ardebit cum eis. Qui cum iumento et pecore coierit: morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier que succubuerit cuilibet iumento: simul interficietur cum eo.

Moyses in deuteronomio capitulo 27. Maledictus qui dormierit cum vxore patris sui. Maledictus homo qui dormierit cum omni iumento. Maledictus qui dormierit cum sorore sua. Maledictus qui dormierit cum socru sua.

#### De molestia et damno amoris venerei: Rubrica 10

Salomon in prouerbiis capitulo 9. Mulier viri preciosam animam rapit. Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo vt vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas vt non comburantur plante eius. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Mulier laqueus venatorum est: et sagena cor eius / Uincula enim sunt manus illius: qui placet deo effugiet eam: qui autem peccator est capietur ab illa.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Propter speciem mulieris multi perierunt. 19. capitulo. Unum et mulieres apostatare faciunt et sapientes: et arguunt sensatos.

Virgilius eneide libro 4. post medium. Improbe amor quid non mortalia pectora cogis.

Commented [CN15]: fol.113va

Tullius tusculanarum questionum libro 5. et finali. Nunquam finem inueniet libido.

Ouidius de arte amandi libro 2. Quod iuuat exiguum plus est quod ledit amantes / Preponantque animo multa ferenda suo. Idem de tristibus libro 4. epistola i. Sensit amans sua damna ferre tamen heret in illis / Materiam culpe persequiturque sue.

Quintilianus declamationum 14. declamatione. Ex omnibusque nobis patientibus extorquet affectus hoc seuissimum patimur quod nemo vult in amore sanari.

Seneca tragediarum in octauia capitulo 9. Luxuria pestis blanda. Idem declamationum in prohemiio. Nihil tam mortiferum ingeniis quam luxuria est.

Lucanus libro 5. Heu quantum mentes dominatur in equas / Iusta venus: dubium trepidumque ad prelia magne: / Te quoque fecit amor.

Statius thebaidos libro 6. Nunc opus est animis infestos tollere cestus / Cominus: hec bellis et ferro proxima virtus. / Subdit amor stimulus.

Iuuenalis libro satyra vnica. Nullam inuenies que parcat amanti. / Ardeat ipsa licet tormentis gaudet amantis: / Et spoliis.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Tres sunt omnes affectus qui homines in omnia facinora precipites agunt: Ira: cupiditas: libido.

Fulgentius libro 2. fabula 12. Omnis qui luxuriam amat cecus est. Libro 3. et finali fabula 8. Amor cum periculo sepe concordat: et dum ad illud non solum natat quod diligit: nunquam videt quod expedit.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 50. O deus in quantis animus versatur amantis. / Que timor hac illa pellit amorque grauis.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 6. Efficitur fatuus qui sic amat vt modus absit. / Negligit officium quilibet inde suum.

Gualterius de castellione libro primo. Non te emolliat intus / Prodigal luxuries: nec fortia pectora frangat / **Mentis** morbus amor latebris et murmure gaudes. / Si bacho venerique vacces qui cetera subdis. / Subiuga venisti: perit delata vacantis. / Libertas animi veneris flagrante camino. / Mens habet interius rixas et bella moueri. / Imperat et suadet: rationis et vile sepulchrum. / Ebrietas rigidus eneruant hoc duo mores.

Commented [CN16]: fol.113vb

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. capitulo 4. Eneruat studium perniosa venus.

Andreas ad gualterium de amore libro 3. Nullus tanto dilectionis alicui vel amicitie vinculo colligatur: si cognouerit ipsum pro sue vxoris vel filie vel propinque instanter esse amoris sollicitum: quin statim contra ipsum non incipiat odii liuore moueri ac indignationis venena concipere. Qui amat vehementi quadam seruitute ligatur: et cor interius iaculatur. Omnem enim extraneorum colloctionem vel deambulationem aut insolitam commorationem amans in coamante ex amoris zelo timescit. Semper timet amans ne sibi voluntas atque fides alteretur amantis: et hanc cogitationem amanti non potest vigilia neque somnus auferre. Quas penas viuendo patiuntur amantes: non mihi videtur quemquam posse plenius edoceri: nisi fuerit magna experientia eruditus.

De exclusiuis et adminiculatiuis amoris venerei et eius libidinis: Rubrica 11

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Auerte faciem tuam a muliere corrupta: et non circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi exardescit.

Terentius in andria capitulo 7. Ha quanto satius est id te dare operam qui istum amorem. / Ex animo amoneas tuo: / Quam id loqui quo magis libido frustra incendatur tua.

Catullus capitulo 8. Nulla viro iuranti femina credat / Nulla viri speret sermones esse fideles / Quis dum aliquid cupiens animus pregressit adipisci: / Nil metuunt iurare: nil promittere parcunt. / Sed simul ac cupide mentis saciata libido est / **Dicta** nihil metuere: nihil periuria curant. Capitulo 11. et penultimo. Difficile est longum subito deponere amorem.

Commented [CN17]: fol.114ra

Ouidius de remedio amoris libro i. Quale sit id quod amas celeri circumspecte mentem. / Et tua lesuro subtrahe colla iugo. / Ocia si tollas perire cupidinis artus. / Contenteque iacent et sine luce faces. / Cedit amor rebus: res age tutus erit. / Affluit incautis insidiosus amor. / Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes. / Da vacue menti quo teneatur opus. / Sepe refer tecum scelerate facta puella. / Et pone ante oculos omnia damna tuos. / Profuit assidue viciis insistere amice. / Exige quod cantent si qua est sine voce puella: / Fac saltet: nescit si qua mouere pedem. / Barbara sermone est: fac tecum multa loquatur / Si male dentata est: narra quod rideat illa. Libro 2. Secta bipartito cum mens discurrit vtrem / Alterius vires subtrahit alter amor. / Intrat amor mentes vsu: dediscitur vsu. / Ad mala quisque animum referat sua ponet amorem / Nam tibi secretos: augent secreta furores / Est opus auxilio turba futura tibi. / Et loca sepe nocent: fugito loca conscia vestri. / Concubitus: causas illa doloris habent. / Ut pene extinctum cinerem si sulphure tentes. / Uiuat: et ex minimo maximus ignis erit. / Sic nisi vitaris quicquid renouabit amorem / Flamma recandescet que modo nulla fuit. / Non habet vnde suum paupertas pascat amorem. / Daunius: haut libicis bullius tibi missus aboris / Adueniat megaris noxius omnis erit. / Nec minus erucas aptum vitare salaces. / Et quicquid veneri corpora nostra parat.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 4. Nolite inebriari vino in quo est luxuria.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 2. Quisquis in primo obstitit. / Pepulitque amorem: tutus ac victor fuit / Qui blandiendo dulce nutriuit malum. / Sero recusat ferre quod subiit iugum. In octauia capitulo 10. Uis magna mentis blandus animi calor. / Amor est: inuenta gignitur luxu: ocio / Nutritur inter leta fortune bona. / Quem si fouere atque alere desistas cadit.

Commented [CN18]: fol.114rb

Ualerius maximus libro 2. titulo i. Massilia ciuitas nullum aditum in scenam numis dat: quorum argumenta maiore ex parte stuprationum continent actus ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.

Fulgentius libro 2. fabula 12. Libidinem sapientia contemnit.

Cato capitulo 5. et finali. Cum te detineat veneris damnosa voluptas: / Indulgere gule noli: que ventris amica est.

Isidorus in synonyma solliloquiorum libro 2. capitulo 7. Ieiunio libido restringitur. 10. capitulo. Cedet libido rebus: cedet operi: cedet industrie et labori.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus. Usu crescit amor omnis: decrescit et vsu / Omnis et impastus attenuatur amor.

Andreas ad gualterium de amore libro 3. Res talis luxuria est quam persequendo vincimur: et eam fugiendo fugamus.